

## ARTICULUS III

## DE ORATIONUM SPECIEBUS ET ORDINE

Q. 74. *Ad quot species reduci possunt Orationes omnes quæ in Missa, præter Orationem Missæ propriam seu substantialem, dici debent aut possunt?*

R. Ad tres species revocari possunt; sunt nempe:

1° *Commemorationes stricte sumptæ seu speciales*. Sunt autem illæ quæ correspondent Commemorationibus in Officio factis, puta de Dominica, de Octava, de Simplicio, etc.; de quibus in Rubricis Missalis toto Titulo VII agitur.

2° *Orationes ordinariæ*, seu *Commemorationes communes*; per quas intelliguntur Orationes in Missis ritus semiduplicis et simplicis secundo et tertio loco addendæ; quales sunt: *A cunctis, Ad libitum, Pro Papa, vel Ecclesiæ*, etc., diversæ pro diverso anni tempore, ut docet Titulus Rubricarum IX; quæque ideo vocantur etiam *Orationes pro tempore assignatæ*. Hæ Orationes correspondere solent Commemorationibus communibus seu Suffragiis, quæ in Officio ad Vesperas et Laudes fiunt.

3° *Orationes votivæ*; sunt illæ quæ, præter Commemorationes speciales et communes, quibusdam in casibus adduntur in Missa, nullamque habent relationem cum Officio, et ideo vocantur *votivæ*. Duplices sunt:

a) Ex iis aliæ ex mandato Rubricæ aut Superioris dicendæ præscribuntur, et vocantur *votivæ late dictæ*; quales sunt: Oratio de SS. Sacramento, dum exponitur SS. Sacramentum; Oratio in Anniversario creationis et coronationis Summi Pontificis, item in Anniversario electionis, et consecrationis, vel translationis Episcopi; et Oratio imperata.

b) Aliæ vero Orationes votivæ illæ sunt quæ ad arbitrium Celebrantis addi possunt in Missis ritus simplicis, nempe in Missis de Festo simplici, aut de Feria, aut in Missis votivis privatis; et hæ sunt *strictè votivæ*. (Rubricæ generales, Tit. VII, n. 5; Tit. IX, n. 12.)

## § 1. De Commemorationibus specialibus

Q. 75. *Quid est Commemoratio specialis?*

R. Commemoratio specialis, seu stricto sensu accepta, proprie est memoria illius de quo fieret Officium et diceretur Missa, nisi ab alio digniore impediretur; quæque per Orationem, Secretam, et Postcommunio-nem Officii impediti in Missa peragitur.

Exemplum: 28 Augusti, duo occurrunt Festa, videlicet S. Augustini, Episcopi, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris, Duplex, et S. Hermetis, Martyris, Simplex, simul celebranda. Officium et Missa est de S. Augustino, utpote Duplex, de S. Hermete vero recitatur tantum Oratio loco ipsius integri Officii et Missæ; hæc autem Oratio vocatur Commemoratio specialis.

Q. 76. *Quæ Commemorationes speciales faciendæ sunt in Missa? Quænam ex eis numquam omittuntur? Quænam amittunt jus ut fieri possint, et in quibus casibus?*

R. I. Dicta Oratione Missæ, cujus Officium in Occurrentia cum aliis prævalet, dicuntur Commemorationes speciales eorum Officiorum quæ eadem die occurrerunt, quæque possunt esse: Festum duplex minus quod non est Sancti Ecclesiæ Doctoris; Festum semiduplex; Festum simplex; Dominica; Feria major; Vigilia; dies infra Octavam; dies Octava. Horum, si facta fuerit Commemoratio in Officio ad Vesperas, et Laudes, faciendæ quoque est Commemoratio in Missa.

Attamen, sicut hujusmodi Officia, ob præstantiam ejus quod dictum fuit integrum, jus amittere possunt ad Commemorationem in Vesperis et in Laudibus, ita quoque idem jus amittere possunt ad Commemorationem in Missa.

II. Jus illud numquam amittunt Dominica, Feria major, dies Octava, dies infra Octavam privilegiatam; quarum semper fieri debet Commemoratio.

III. Sed, si Missa dicitur de Festo duplici 1 classis, non potest in hac Missa fieri Commemoratio Festi duplicis aut semiduplicis ad instar simplicis redacti; neque Festi simplicis; neque diei infra Octavam communem; neque Vigiliæ minoris; neque Feriæ III aut IV Rogationum.



54 (Q. 77) De Commemorationibus specialibus

Si Missa dicitur de Festo duplici 2 classis, non potest in ea fieri Commemoratio diei infra Octavam communem. (De Commemoratione Festi simplicis in casu dicitur Q. 78.)

Hæc omnia longius exponuntur in Tractatu de Officio divino, QQ. 163 et 164. Regulæ enim pro Missa dantur omnino eadem quam pro Officio, ita ut Rubrica generalis Missalis (Tit. VII, n. 1) simpliciter pro responso ad propositam Quæstionem dicat: « Commemorationes in Missis fiunt sicut in Officio. »

Q. 77. Quo ordine faciendæ sunt Commemorationes speciales in Missa?

R. Commemorationes, si plures sunt faciendæ, in Missa etiam eodem ordine fiunt, quo dictæ fuerunt in Officio; et servatur regula, ut de eo prius Commemoratio dicatur, de quo, secluso impedimento, Missa diceretur. Unde sequens ordo servabitur:

- 1° De Dominica privilegiata, seu majori secundæ classis;
- 2° de die Octava;
- 3° de Sancto cujus Festum, per se duplex, per accidens agitur tamquam simplex;
- 4° de Dominica communi per annum;
- 5° de die infra Octavam SS. Corporis Christi;
- 6° de Sancto cujus Festum, per se semiduplex, per accidens agitur tamquam simplex;
- 7° de die infra Octavam communem;
- 8° de Feria Majori;
- 9° de Vigilia;
- 10° de Sancto cujus Festum per se simplex est.

(Cfr. Rubricæ generales, Tit. VII, n. 5, reformatæ Decreto 11 Decembris 1897.)

Facilis est usus hujus Tabellæ, in qua statim quis videre potest quo ordine disponendæ sint Commemorationes speciales, quæ plures aliquando occurrunt in Missa faciendæ. Exemplum sit sequens: Die 30 Augusti, celebratur Festum duplex minus S. Rosæ Limanæ, Virginis, et simul Festum simplex SS. Felicis et Adaucti, Martyrum; anno 1903, dies 30 Augusti est dies Dominica, et occurrit Officium Dominicæ XIII post Pentecosten, quæ est Dominica communis per annum; et cum hæc Dominica sit juxta computum ecclesiasticum prima Septembris, celebran-

De Commemorationibus specialibus (Q. 78) 55

dum venit in Archidiecepsi Mechliniensi Festum SS. Angelorum Custodum, duplex 2 classis. — Ex regulis in Tractatu de Officio divino traditis pro casu Occurrentiæ plurium Officiorum, notum est Officium et Missam dici de Festo prævalente SS. Angelorum; de reliquis Officiis occurrentibus fiet Commemoratio; et cum plura sint, ex Tabella præcedenti statim patet Commemorationes esse instituendas in Missa hoc ordine: 1<sup>a</sup> de Festo duplici simplici S. Rosæ; 2<sup>a</sup> de Dominica; 3<sup>a</sup> de Festo simplici SS. Felicis et Adaucti, Martyrum (pro hac tamen animadvertendum est id quod dicitur in sequenti Quæstione).

Q. 78. Indica exceptiones ad regulam Commemorationum, positam Q. 76.

R. Exceptiones ad hanc regulam sunt sequentes:

1<sup>a</sup> Quando celebratur Festum duplex 2 classis, sicuti tunc in ejus Officio Commemoratio Festi simplicis omittitur quidem in primis Vesperis, dicitur vero in Laudibus, ita in Missa ejusmodi Festi Commemoratio Festi simplicis omittitur in omni Missa solemniori aut cantata, dicitur autem in Missa privata. Ita ut Commemorationi Festi simplicis in Laudibus tantum factæ respondeat facta ejusdem Commemoratio in Missis privatis, et omissioni Commemorationis in Vesperis respondeat ejusdem omissio in Missis solemnibus et cantatis.

Animadvertendum est, quod hæc exceptio non attingat Festa duplicia vel semiduplicia quæ aguntur ad instar simplicis; etenim Rubrica Generalis Missalis innovata dicit: « De Festo duplici aut semiduplici cujus facta est Commemoratio per modum simplicis in Officio, etiam in Missa fit Commemoratio, non excepta Missa **solemni in Festis duplicibus secundæ classis.** » (Tit. VII, n. 1.)

Exemplum: Jam intelligitur ratio animadversionis indicatæ in solutione ad casum positum in Quæstione præcedente pro Commemoratione Festi simplicis SS. Felicis et Adaucti, Martyrum. Etenim, quia Festum SS. Angelorum Custodum, cujus dicitur Missa, est duplex 2 classis, fiet quidem Festi simplicis Commemoratio in Missis privatis, debet autem omitti in Missis solemnibus et cantatis, etiamsi ejus Commemoratio facta fuerit in Officio ad Laudes. De Festo S. Rosæ Limanæ, duplici ad instar simplicis redacto, quia non est simplex per se, fiet Commemoratio in omnibus Missis, etiam solemnibus et cantatis Festi SS. Angelorum; sicuti in Officio facta quoque fuit ejus Commemoratio non tantum in Laudibus, sed et in Vesperis.



56 (Q. 79) De Commemorationibus specialibus

2<sup>a</sup> In Dominica Palmarum, et in Vigilia Pentecostes, omittitur in Missa non tantum solemniter sed et in Missa quacumque, etiam privata, Commemoratio, licet facta in Officio, non tantum Festi simplicis, sed etiam Festi duplicis aut semiduplicis ad modum simplicis redacti.

3<sup>a</sup> Fit Commemoratio in Missa, etiamsi in Officio facta non sit, de Feria III et IV Rogationum; item de Vigiliis, quando hæ cadunt in Adventu, in Quadragesima, aut in Quatuor Temporibus. — Omittuntur tamen istæ Commemorationes in Festo duplici I classis, uti dictum fuit Quæstione 76, ad III.

Q. 79. *Indica exceptionem ad regulam datam Q. 77, de ordine Commemorationum.*

R. In Missali Romano unica datur exceptio ad regulam positam de ordine servando in Commemorationibus; scilicet: Quemadmodum in Officio divino, ad Laudes et Vesperas, quædam Commemorationes semper dicuntur immediate post Orationem substantialem Officii, ante alias quascumque, sub altera tamen conclusione; nempe Commemorationes de S. Paulo Apostolo in Officiis Festorum S. Petri Apostoli, et de S. Petro Apostolo in Officiis Festorum S. Pauli Apostoli, prout in Rubricis specialibus horum Festorum dicitur (cfr. Proprium Sanctorum in Breviario, in Festis Cathedralæ S. Petri Romæ, 18 Januarii; Cathedralæ S. Petri Antiochiæ, 22 Februarii; S. Petri ad Vincula, 1 Augusti; Conversionis S. Pauli, 25 Januarii; Commemorationis S. Pauli, 30 Junii); — ita hujusmodi Commemorationes quoque in Missis horum Festorum semper dicuntur primo loco post Orationem propriam Missæ, sub altera tamen conclusione, et eis dictis, adduntur, si faciendæ occurrunt, reliquæ Commemorationes speciales. (Cfr. Rubricæ generales Missalis, Tit. VII, n. 5, reformatæ per Decretum 11 Decembris 1897.)

NOTA. I. Idem dicendum est de Commemoratione S. Joseph, in Festo Desponsationis B. Mariæ V. (23 Januarii, in Appendice Breviarii et Missalis), ubi hoc Festum celebratur; etenim Commemoratio S. Joseph dicitur ante alias quascumque, primo loco post Orationem Festi Desponsationis, sub altera tamen conclusio-

De Commemorationibus specialibus (Q. 79) 57

ne. — Sed animadvertendum est, hanc S. Joseph Commemorationem non debere fieri vi Rubricæ, sicut supradictæ de Sanctis Petro et Paulo; imo ipsam non posse fieri in hoc Festo Desponsationis, nisi constet de speciali ejusdem Commemorationis concessione, uti declaravit S. Rituum Congregatio (Decret. 5 Maji 1736, n. 2319, antiq. 4044, ad Tit. IX). — In nostra Diocesi, ubi Festum jam celebratur a sæculo XVIII, Indultum pro Commemoratione S. Joseph concessum fuit 11 Martii 1875. (Cfr. Directorium anni 1876.)

NOTA. II. Hæc exceptio quoad ordinem non est applicanda Commemorationi Omnium SS. Apostolorum, quæ fit in Festo SS. Apostolorum Petri et Pauli (29 Junii), neque Commemorationi Omnium SS. Martyrum, quæ fit in Festo S. Stephani, Protomartyris (26 Decembris). — Istæ Commemorationes, de quibus in Rubricis nihil habetur, fuerunt præscriptæ, per Breve Clementis XIV, 22 Junii 1771, Archidiocesi Mechliniensi, Austriacæ ditioni tunc temporis subjectæ, occasione abrogationis, quoad feriacionem, nonnullorum Festorum SS. Apostolorum et SS. Martyrum; ut fideles aliquo modo eorum memoriam servent, ac venerentur. (Cfr. Synodicum Belgicum, Tom. II, pag. 507.) Idem præceptum fuit, per Indultum pro reductione Festorum, 9 Aprilis 1802, pro toto territorio Reipublicæ Gallicanæ. (Cfr. Collectio Epistolarum Pastoralium Diocesis Mechliniensis, Tom. I, pag. 45.) — S. Rituum Congregatio rescipsit, istas Commemorationes esse faciendas, non immediate post Orationem Festorum in quibus fiunt, sed post Commemorationes speciales occurrentes. (Decret. 31 Augusti 1867, n. 3157, ad 12, antiq. 5381, ad 14.) Itaque Commemoratio Omnium SS. Apostolorum fiet post Commemorationem Dominicæ, quoties Festum SS. Petri et Pauli occurrit in Dominica (ut fit anno 1902); et Commemoratio Omnium SS. Martyrum in Festo S. Stephani, Protomartyris, fiet post Commemorationem Octavæ Nativitatis Domini.



## § 2. De Orationibus ordinariis, seu Commemorationibus communibus.

Q. 80. *Quis est usus Orationum ordinariarum, seu Commemorationum communium?*

R. Cum ritus semiduplex et simplex plures in Missa requirat Orationes (cfr. Q. 72), et plerumque præter Orationem substantialem Missæ, seu Missæ propriam, alia Commemoratio specialis facienda non occurrat, oportuit assignare, quæ et quot Orationes in illo casu dicendæ sint; utrumque docetur per integrum Tit. IX Rubricarum generalium.

Q. 81. *Quæ sunt diversæ Orationes quæ pro Commemorationibus communibus assumuntur?*

R. Sunt sex sequentes: 1<sup>a</sup> de B. Maria V.; 2<sup>a</sup> *Ecclesiæ*, vel pro Papa; 3<sup>a</sup> *A cunctis*; 4<sup>a</sup> pro vivis et defunctis; 5<sup>a</sup> de Spiritu sancto; 6<sup>a</sup> Oratio ad libitum celebrantis.

NOTA. Sequens tabula indicat quomodo per diversa anni ecclesiastici tempora adhibendæ sint, juxta Tit. IX Rubricarum Missalis, et quasdam Rubricas particulares.

1<sup>o</sup> **A Dominica I Adventus usque ad Vigiliam Nativitatis Domini exclusive**: 2<sup>a</sup> Oratio dicitur de B. Maria V.; 3<sup>a</sup> *Ecclesiæ*, vel pro Papa. — Ita in Missis de Dominicis et Feriis; in Festis vero semiduplicibus 2<sup>a</sup> Oratio dicitur de Feria; 3<sup>a</sup> de B. Maria V.

2<sup>o</sup> **Ab Octava Epiphaniæ usque ad Purificationem**: 2<sup>a</sup> Oratio de B. Maria V.; 3<sup>a</sup> *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

3<sup>o</sup> **A Purificatione usque ad Feriam IV Cinerum**: 2<sup>a</sup> Oratio *A cunctis*; 3<sup>a</sup> ad libitum.

4<sup>o</sup> **A Feria IV Cinerum usque ad Dominicam Passionis**: 2<sup>a</sup> Oratio *A cunctis*; 3<sup>a</sup> pro vivis et defunctis. — In Festis semiduplicibus 2<sup>a</sup> Oratio dicitur de Feria; 3<sup>a</sup> *A cunctis*.

5<sup>o</sup> **A Dominica Passionis usque ad Feriam V in Cœna Domini**: 2<sup>a</sup> Oratio *Ecclesiæ*, vel pro Papa; 3<sup>a</sup> non dicitur. — In Festis semiduplicibus 2<sup>a</sup> Oratio dicitur de Feria; 3<sup>a</sup> *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

6<sup>o</sup> **Infra Octavam Paschatis**: 2<sup>a</sup> Oratio *Ecclesiæ*, vel pro Papa; 3<sup>a</sup> non dicitur.

7<sup>o</sup> **Ab Octava Paschatis usque ad Vigiliam Pentecostes**: 2<sup>a</sup> Oratio de B. Maria V.; 3<sup>a</sup> *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

8<sup>o</sup> **Infra Octavam Pentecostes**: dicuntur Orationes sicut infra Octavam Paschatis, n. 6<sup>o</sup>.

9<sup>o</sup> **Ab Octava Pentecostes usque ad Adventum**: 2<sup>a</sup> Oratio *A cunctis*; 3<sup>a</sup> ad libitum.

10<sup>o</sup> **Infra Octavas B. Mariæ V., et Omnium Sanctorum**; item in Sabbato, quando de B. Maria V. factum est Officium: 2<sup>a</sup> Oratio de Spiritu sancto; 3<sup>a</sup> *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

11<sup>o</sup> **Infra Octavas SS. Corporis Christi, et Sanctorum**: 2<sup>a</sup> Oratio de B. Maria V.; 3<sup>a</sup> *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

12<sup>o</sup> **In Festis semiduplicibus infra Octavas occurrentibus**: 2<sup>a</sup> Oratio dicitur de Octava; 3<sup>a</sup> illa quæ secundo loco infra Octavas ponitur.

13<sup>o</sup> **In Vigiliis quæ jejnantur** (exceptis Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, necnon Omnium Sanctorum): 2<sup>a</sup> Oratio de B. Maria V.; 3<sup>a</sup> *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

14<sup>o</sup> **In Vigilia Omnium Sanctorum**: 2<sup>a</sup> Oratio de Spiritu sancto; 3<sup>a</sup> *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

15<sup>o</sup> In Missis Votivis quæ respondent Officiis Votivis per annum, Indulto 5 Julii 1883 concessis pro diversis hebdomadæ diebus (cfr. Q. 41), 2<sup>a</sup> Oratio et 3<sup>a</sup> erunt ut in Semiduplicibus pro diversitate temporis. (Rubrica specialis harum Missarum.)

Et quidem pro Missa de SS. Sacramento, in Feriis quintis, declaravit S. Rituum Congregatio, quod Orationes in ea dicendæ sunt, non ut infra Octavam SS. Corporis Christi (vide supra n. 11<sup>o</sup>), sed tempori congruentes. (Decret. 30 Junii 1896, n. 3922, § 1.)

Pro Missa Votiva de Immaculata Conceptione B. Mariæ V., servatur Rubrica generalis (Tit. IX, n. 15), quod in ipsa dicitur 2<sup>a</sup> Oratio de Spiritu sancto, 3<sup>a</sup> *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

Q. 82. *Quænam intelligitur Oratio de B. Maria V., quæ pro diversis temporibus indicatur dicenda?*



60 (Q. 83, 84) De Commemorationibus communibus

R. Intelligitur ea quæ reperitur in Missis Votivis de B. Maria V., in quinta parte Missalis (cfr. Q. 37); dicitur itaque illa quæ assignatur secundum varietatem temporis in quo Missa celebratur; ex. gr., ab Epiphania usque ad Purificationem erit Oratio: *Deus, qui salutis, etc.*; a Paschate usque ad Vigiliam Pentecostes erit: *Concede nos, etc.*

Q. 83. Quot, et quæ Orationes dicuntur in Missa ritus semiduplicis, id est, de Dominicis, Festis semiduplicibus, et diebus infra Octavas?

R. In Missis ritus semiduplicis tres Orationes dicuntur, quarum prima est Oratio substantialis Missæ, reliquæ duæ sunt Orationes ordinariæ, nisi faciendæ sint Commemorationes speciales.

Q. 84. Quæ sunt Officia ritus semiduplicis, quæ in Missa tres Orationes non admittunt?

R. 1° Duo sunt Officia ritus semiduplicis in quorum Missis unica tantum dicitur Oratio; scilicet: Dominica in Palmis, et Vigilia Pentecostes. Et etiamsi, ut non raro fit, in Officio Dominicæ Palmarum, aut Vigiliæ Pentecostes facta fuisset in Laudibus commemoratio alicujus Festi duplicis aut semiduplicis quod ad instar simplicis agitur, de hoc nulla fieri potest in Missa his diebus Commemoratio.

2° Dominica de Passione, et dies infra Octavas Paschatis et Pentecostes, inde a Feria IV usque ad Sabbatum, sunt Officia ritus semiduplicis, in quorum Missis duæ tantum dicuntur Orationes, ut supra (Q. 81, 6° et 8°) jam notatum fuit. Et si iisdem diebus occurreret faciendæ Commemoratio specialis alicujus Sancti, cujus Officium per se simplex est, aut ad instar simplicis agitur, tunc dicitur in Missa secunda Oratio de Sancto; nec ideo dicitur tertio loco Commemoratio communis *Ecclesiæ*, vel pro Papa; sed tertia Oratio omittitur. (Decret. S. Rituum Congregationis, 15 Septembris 1736, n. 2325, antiq. 4054, ad 1.)

3° Idem notetur pro Missa Dominicæ, cujus Officium infra aliquam Octavam occurrit; unde si alicubi celebratur Octava Festi Patroni loci aut Titularis Eccle-

De Commemorationibus communibus (Q. 85) 61

siæ, et Dominica infra Octavam Officium et Missa dicantur de Dominica, modo nulla alia specialis Commemoratio quam de Octava occurrat faciendæ, in Missa de Dominica dicuntur tantum duæ Orationes, de Dominica scilicet et de Octava. (Rubricæ generales, Tit. IX, n. 10.)

Exemplum: Anno 1902, Dominica infra Octavam SS. Corporis Christi occurrit 1 Junii, qua die nullum Festum aut Officium in Calendario assignatur. Officium fit de Dominica infra Octavam SS. Corporis Christi, et in Missa hujus Dominicæ fit Commemoratio specialis Octavæ SS. Corporis Christi; et hæc tantum dicitur, nec additur tertio loco Commemoratio communis.

Idem habetur eodem hoc anno Dominica infra Octavam Epiphaniæ.

Aliud exemplum: Supponitur S. Georgius, Martyr (23 Aprilis), Patronus loci, aut Titularis Ecclesiæ cujusdam. Anno 1902, Dominica infra ejus Octavam (27 Aprilis) est Dominica IV post Pascha, dies libera a Festo in Calendario generali. — In loco Patronatus S. Georgii, aut in ejus Ecclesia, dicitur quidem hac die, sicut alibi, Officium et Missa de Dominica IV post Pascha; sed ibi in Missa fiet tantum Commemoratio Octavæ S. Georgii, et non tertio loco dicitur Commemoratio communis *Concede*, de B. Maria V.; sed tertia Oratio omittetur, dum alibi tres Orationes in eadem Missa de Dominica dici debent.

Q. 85. An in Missa ritus semiduplicis plures quam tres Orationes dici non possunt?

R. Si per Orationes intelligas Orationes ordinarias seu Commemorationes communes, secundo et tertio loco assignatas (cfr. Q. 81), dicendum est quod in Missis ritus semiduplicis plures quam tres Orationes dici non possunt; si vero sub hoc vocabulo etiam comprehendas Commemorationes speciales, tunc dicendum est quod sane plures quam tres Orationes in iisdem Missis dici possunt, et quidem debent; quando nimirum tres vel quatuor occurrunt faciendæ Commemorationes speciales in Officio, tunc quatuor vel quinque habebis in Missa Orationes dicendas. Unde quando dicitur quod in Missa ritus semiduplicis tres Orationes (cfr. Q. 83), vel aliquando duæ tantum (Q. 84, 2° et 3°) recitentur, abstrahitur a Commemorationibus specialibus quæ forte occurrunt. Rarius tamen hoc fit, quod tres Commemorationes speciales sint dicendæ in Missis ritus semiduplicis.



62 (Q. 86, 87) De Commemorationibus communibus

Q. 86. *Quæ dicuntur Orationes in Missa ritus simplicis, scilicet in Missis de Festo simplici, Feria et Vigilia?*

R. Tres Orationes quæ saltem dici debent, sunt, sicut in Missa ritus semiduplicis: prima, substantialis Oratio Missæ; reliquæ duæ, Orationes ordinariæ, seu Commemorationes communes; sed præter istas tres requisitas potest ad libitum suum Sacerdos alias dicere, seu addere Orationes, sed tantum usque ad quinque vel septem; hæc autem Orationes ad libitum additæ sunt Votivæ strictè dictæ (cfr. Q. 74, 3<sup>o</sup>), de quibus infra agitur in § 3.

Unica est pro requisito numero ternario exceptio, in Missa feriali tempore Passionis, a Dominica Passionis usque ad Feriam V in Cœna Domini; in qua duæ tantum præscribuntur (cfr. Q. 81, 5<sup>o</sup>), nec aliæ ad libitum addi possunt. Et si iisdem diebus occurreret facienda Commemoratio specialis alicujus Sancti, cujus Officium per se simplex est, aut ad instar simplicis agitur, tunc dicitur in Missa secunda Oratio de Sancto, nec ideo dicitur tertio loco Commemoratio communis *Ecclesiæ*, aut pro Papa; sed tertia Oratio omittitur. (Decret. S. Rituum Congregationis 4 Maji 1709, n. 2193, antiq. 3808, ad 2.)

Q. 87. *Si, cum plures Orationes ordinariæ, ex. gr., secunda A cunctis, tertia Ad libitum, dicuntur, occurrat fieri Commemorationem, ex. gr., alicujus Sancti, quid faciendum jubet Rubrica?*

R. In tali casu hæc Commemoratio specialis ponitur secundo loco, et pro tertia Oratione ordinaria sumitur illa quæ alias secundo loco dicenda erat; quæ vero superest Oratio ordinaria omittitur. (Rubricæ generales, Tit. IX, n. 16.) In casu proposito secunda Oratio erit Commemoratio Sancti, tertia *A cunctis*. Quod si duæ occurrant Commemorationes speciales, utraque omittitur Oratio ordinaria. Ex quibus colligitur hæc regula generalis: Orationes ordinariæ semper locum cedunt Commemorationibus specialibus.

NOTA. Possunt in hac Orationum, seu potius Commemorationum materia occurrere casus extraordinarii, qui non expresse exponuntur in tabula Commemorationum descripta ad

De Commemorationibus communibus (Q. 88) 63

Q. 81, nec in supradicto responso. Juvat unum et alterum S. Rituum Congregationis Decretum referre, quo determinatur quid in quibusdam casibus sit faciendum.

1. Dubium: « An infra Octavam Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V., occurrente aliqua Feria, Missæ debeant dici de Feria, vel de die infra Octavam? Et quatenus Missæ dicantur de Feria, quænam Orationes in Missis apponi debeant? » S. Congregatio sequentem resolutionem approbavit: « Quando occurrit Vigilia, aut Feria Quatuor Temporum infra Octavam Conceptionis B. Mariæ V., debet recitari Officium de die infra Octavam Conceptionis; Missæ autem dicantur de Feria Quatuor Temporum, cum secunda Oratione de Octava, tertia vero de Spiritu sancto, quæ semper dicitur infra Octavas Festorum B. Mariæ V., juxta Tit. IX, de Orationibus, n. 7 et 9. Oratio enim, quæ ibi præscribitur dicenda secundo loco, in casu ponitur loco tertio. At si Feria Quatuor Temporum occurrat in die Octava Conceptionis, omnes Missæ privatæ dicantur de Octava Conceptionis, cum Commemoratione Feriæ; Missa autem solemnis, quæ dicitur post Tertiam, erit de ipsa die Octava Conceptionis sine Commemoratione Feriæ, cum de ea cantari debeat alia Missa post Nonam sine Commemoratione Conceptionis, de qua nulla habenda est ratio. Dicendæ autem sunt Orationes assignatæ in ipsa Feria, nempe secunda: *Deus qui de Beata*, et tertia *Ecclesiæ*, vel pro Papa. » (Decret. 5 Maji 1736, n. 2319, antiq. 4044, ad Reliq. dub. n. 26, antiq. n. 30.)—Animadvertendum est in ultima parte Decreti agi de Missa conventuali, et Missas privatas ibi significare Missas non conventuales. (Cfr. Q. 12.)

2. Ad dubium: « Occurrente Festo semiduplici in Vigilia alicujus Apostoli, in Missa Festi tertia Oratio eritne *A cunctis*, vel *Concede*? » S. Congregatio respondendum censuit: « Esse recitandam Orationem *A cunctis*. » (Decret. 15 Septembris 1736, n. 2326, antiq. 4055, ad 5.)—Ex hoc Decreto jam intelligitur diversitas Orationum quæ præscribuntur, ex. gr., in Directorio seu Ordine Officiorum pro anno 1902, diebus 27 et 31 Octobris, in Missis tum Vigiliæ SS. Simonis et Judæ Apostolorum, tum Vigiliæ Omnium Sanctorum, et Missis utriusque Officii Votivi semiduplicis, tum de SS. Angelis, tum de Passione Domini, quæ iisdem diebus loco Officii utriusque Vigiliæ dici possunt anno 1902.

Q. 88. *An, cum una vel plures Commemorationes speciales occurrunt, et Celebrans in Missa Festi simplicis, Feria, vel Vigiliæ, aut in Votiva, plures quam tres Orationes recitare velit, tunc post Commemorationes speciales, non sunt præferendæ Commemorationes communes, quæ locum cedere debuerunt specialibus?*

R. Auctores censent liberum Sacerdoti esse quas voluerit Orationes addere, relictis Commemorationibus